

S. per Christum. Nonnihil molestum nobis fuit inter-
gerime Oporine, quod nulla sint ad nos exemplaria Historiae
Ecclesiasticae naturae paulo, nostris quidem sumptibus, uti
inter nos convenerat, perlata, nec possumus sane divinare
quidnam in causa fuerit? Perturbavit etiam nos non
parum, quod ex autumnali mercato, sicut petieramus,
nullos libros acceperimus, quorum nobis usus fuisset ve-
hementer necessariis. Studiosum itaque istum nostris
sumptibus Francofordiam ablegandum patavinis, ut
de rebus omnibus certiores fieremus, et quae vellemus
omnia diligentius expedirentur. Pro articulo fidei
habemus, te jam centurias impressas apportare, ideoque pe-
timus, ut exemplaria huius studioso trades, qui per nostram bi-
bliopolam curabit ea ad nos deportari. Quod ad
pecuniam attinet, rogamus ut pro libris tuo nomine
in usum nostrum emptis, vel à Wilhelmo nostro, vel
à M. Hartmanno, quorum indicem habes, satisfacias,
nobisque per hunc studiosum significes, quantum expo-
sueris et quantum adhuc restet. Deinde cum jam
quodque pluribus indigeamus libris, rogamus amanter, ne
tuo nos destituas auxilio, et ne graveris nostro studio
tuum dare chirographum, si sit necesse, etiam sigillo
consignatum, ut tuo nomine, apud alios bibliopolas li-
bros conquirere possit, ac spondeas te pro ipsis satisfacturum.
Quod si summa excedat eam numerum, quem nobis debes,
non gravatum per nostrum bibliopolam pecuniam mittemus.
Credimus eam rationem, ut nimirum libris nobis satisfacias,
tibi non improbari. Exemplaria corporis doctrinae
quotquot in hac terras advecta sunt, avidissime distracta

sunt, ita ut statim deficerent. Non igitur dubitamus, si qua
habueris reliqua, ea omnia te hoc mercatum venditurum.
Pecunias autem, ut ad nostrum usum nobis adhuc octo exem-
plaria (scilicet: doctrina mittas, quibus sit adjunctus index: cum
enim te interea adiecisse speramus.

Si putares te cum fructu recedere posse, non gravaremur
sub nundinas autumnales, retractationes quorundam la-
pitum et correctiones mittere, quia de re tua nobis
expones sententiam.

Quartam centuriam amplissimas materias continentem
ita ut in satis magnam volumen excreverit, jam ad edi-
tionem paramus. Eam tibi quoque deferimus, ac mittimus
Deo dante ad mercatum autumnalem, ut statim prolo subi-
ciatur et maturetur. Verum ingentes illi sumptus, quos fa-
ciunt et labores propemodum inmensi, quibus et valetudinem
nostras non parum frangimus, compensationem honesto-
rem certe flagitant. Sed quia non sumus ignari, te non
abundare pecuniis, et magis Ecclesie utilitas nobis in conspectu
versatur, ideo communi iudicio collegii nostri decretum est, nos
tantum quinquaginta exemplaria et simul quinquaginta
thaleros a te postulatuuros et acceptuuros esse. Hanc equita-
tem confidimus te non difficili animo approbaturum. Ali-
enim ratione non possumus tradere. Si libris indigebimus
facilior tibi forte erit solutio. Nam credimus te quibusdam
Bibliopolis librorum permutatione, satisfacere posse.
Honorium in Psalmos jam recipies, cui adjungit Wilhelmus
noster Chronicon Hirsauigenae. Si quid edidisti, quod nobis
profuturum putas speramus te nostri rationem habiturum, et
ad gratitudinem incitabit. Bene vale. Magdeburgi 2. Martij 1557.

Inscriptio.

Integerrimo Viro D. Johanni Sporino,
typographo clarissimo, Domino et
amico suo colendo.

Johannes Wigandus
Matthaeus Fudex
nostro et reliquorum
collegarum nomine.